



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 24. Ernestus Comes de Metternich Legatus ad fidem Catholicam
Ratisbonæ conversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

genitus &c. adeoque rejicimus & condem- Sæc. XVIII.
namus librum, cui titulus: Reflexiones A. C. 1727.
morales & CI. Propositiones ab eo ex-
tractas, eadem forma, & sub eisdem qua-
lificationibus; quibus eas damnavit sanctæ
memoriæ Clemens XI. in dicta Constitutione.

§. XXIV.

*Ernestus Comes de Metternich ad fi-
dem Catholicam reversus.*

Hoc item anno luculentum veritatis
testimonium edebatur, quo com-
probatum fieret, in sola Religione Ca-
tholica tutissimum esse mori; nullum
enim reperitur exemplum, quod quis
in Catholica fide natus, enutritus, at-
que senescens paucis ante mortem mo-
mentis, ut secure æternitatis viam in-
gredi posset, a religione Romano-Apo-
stolica ad Lutheri vel Calvinii sectam
defecerit, quamplurimos autem repe-
rire est, qui in ejusmodi erroribus oc-
calluerant, morti tamen appropin-
quantes Catholicam fidem amplexati
sint, eoquod salutem suam in gravis-
simo versari periculo agnoscerent, il-
ludque haud aliter, quam ejurata secta
evitari posse crederent. Ita recte sen-
serat Ernestus Comes de Metternich
Brandenburgici Electoris ad comitia Le-
gatus, qui a Friderico Guilielmo Bo-

L 1 4

russicæ

Sæc. XVIII. russiæ Rege ad Cæsarem ablegatus,
A. C. 1727 & inde Ratisbonam reversus Mense Decembri hujus anni pie ibidem in Domino decessit, paucis tamen ante obitum diebus, cum mortem imminere sentiret, & in sua religione salvari diffideret, publice Catholicam Religionem amplexatus est, suamque ipse fidei professionem posteris scriptam reliquit, & rationes, quibus ad id permotus fuisset, in quodam soliloquio publici juris fecit: Erant autem hæ

I. Religio Christiana est Religio Divinitus revelata.

II. Revelatio est facti, & revelatam continet historiam, ergo seriem factorum.

III. Factorum veritas mihi constare non potest per rationem.

IV. Ergo per aliam revelationem mihi innotescere debet, aut per testes.

V. Non priori modo.

VI. Ergo per testes.

VII. Necessè est, ut testes isti sint omni exceptione majores, ne fallere possint, nec falli.

VIII. Tales non sunt, qui post multa sæcula in remotissimis mundi angulis singulatim extiterunt.

IX. Sed tales, qui præsentés fuerunt, justo numero.

X. Qui

X. Qui ea, quæ manibus contrec. XVIII.
 ctarunt, quæ oculis usurparunt, quæ A. C. 1727.
 auribus hauserunt, aliis retulerunt.

XI. Nempe Apostoli.

XII. Isti visa, & audita tradide-
 runt aliis, stupendo successu.

XIII. Alii, quæ a primis, scili-
 cet Apostolis, acceperunt, tradide-
 runt porro Aliis.

XIV. Hi deinceps aliis. En! suc-
 cessionem Testium.

XV. Hi omnes habuerunt, vel ha-
 bent eandem scientiæ suæ causam.

XVI. Ergo omnes sunt idonei testes.

XVII. Gliscente mox Christiano-
 rum numero, orti sunt cætus utique
 visibiles, quia ex hominibus compo-
 nebantur.

XVIII. Cætus hi omnes unum com-
 munemque finem habuerunt.

XIX. Ergo unam societatem con-
 stituerunt.

XX. Talis societas vocatur Ec-
 clesia.

XXI. Ista societas, quæ Ecclesia
 vocatur, eo ipso, quod est Societas,
 non potest ne fingi quidem absque or-
 dine imperantium, & parentium, aut,
 si mavis, sine subordinatione: En!
 Hierarchiam.

XXII. Talis Ecclesia est maximæ
 auctoritatis, seu est infallibilis, id est,

Sæc. XVIII nulli Christianorum licet dicto, vel
A. C. 1727. facto testari, sibi displicere, quæ Ec-
 clesia statuit.

XXIII. Quæ itaque Ecclesia docet, quæ jubet, quæ tradit, credenda sunt, facienda sunt.

XXIV. Illa dicit, collectionem quamdam aliquot vetustiorum librorum, item aliquot Epistolarum, a diversis authoribus, diverso tempore, & diversis locis scriptarum, esse verbum Dei scriptum. Nisi diceret; non crederem. Plane ut S. Augustinus: Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.

XXV. Illa istius verbi Divini sensum determinat. Alias illud intelligerem meo jure, pro captu meo, non ad lubitum alterius.

XXVI. Illa dicit, Christum & Apostolos multa viva voce tradidisse. Quis, quæso, aliud sibi persuaderi patiatur.

XXVII. At, inquis, mali fuerunt non pauci Pontifices. Fuerint, sed sibi mali fuerunt.

XXVIII. Ecclesiam corrumpere non potuerunt, nisi dixeris, unum Papam tot Archiepiscopos, tot Episcopos, & Prælatos toto orbe diffusos, momento quasi, pervertisse. Portentum!

XXIX.

XXIX. Num & vestri Episcopi, sic Sæc. XVIII.
dicti, vestri Superintendentes, & An- A. C. 1727.
tistites semper fuerunt boni?

XXX. Illi tamen multo addictius
imperant, quam summi Pontifices.

XXXI. Sed inquis porro, judica-
runt Concilia, necessariam fuisse Re-
formationem Ecclesiæ tam in Doctrina,
quam in vita, & moribus. An vero
fortius argumentum inveniri potest, quo
probetur, Ecclesiam universalem nun-
quam errasse? Qui enim errori mede-
lam afferre potuisset, ipsa errans?

XXXII. At multa nova invexit Ca-
tholica Ecclesia. Primum: vos multa
nova appellatis, quæ sunt antiquissima,
& cujus origo non constat, unde est
ab Apostolis. Deinde sunt aliqua nova,
e. g. festi dies, solemnitates, ritus:
(alia, quæ ad doctrinam pertinent,
non agnosco) quid tum? An malum
est, quod pars hominum, quæ est
multo maxima rebus terrestribus im-
mersa, avertatur ab objectis frivolis,
& ad unum necessarium? quod sine
sensuum auxilio fieri vix potest.

XXXIII. Demum inquis, Ecclesiam
Catholicam Spiritu persecutionis, &
crudelitatis agi. Quis tulerit Græ-
chos de seditione querentes. Scilicet
Spiritus Christi, Spiritus inquam man-
fuetudinis, & Charitatis Christianæ
fug-

Sæc. XVIII. suggestit Luthero verba hæc: Cur hos
 A. C. 1727. Papas, hos Cardinales &c. non occi-
 dimus, & manus nostras in eorum
 sanguine lavamus?

XXXIV. Constat itaque Ecclesiæ
 sua Auctoritas.

XXXV. Valet ergo, qui illam in-
 ter & me diffidium volunt, valet
 valet.

XXXVI. Cui hæc non sufficiunt, aliam
 viam ingrediatur. Oret, legat, & consulat
 viros doctos, ac pios. Si cui volupe
 est disputare, disputet, & sudabit, &
 algebit. Et ego multa alia habeo, quæ
 me hortantur, ut redeam ad Eccle-
 siam, multa, multa, sed hæc mihi
 sufficiunt nunc quidem.

XXXVII. Taceo itaque, & im-
 mensam Dei Sapientiam, & Bonita-
 tem adoro, quod eo modo populum
 suum regi voluit, qui solus humanæ
 conditioni conveniens est: Omnes enim
 obedire possunt, non omnes examinare,
 judicare, eligere.

XXXVIII. Hæc est via illa, a qua
 nec stulti aberrare possunt.

Inexpectata hujus Comitum, Viri
 prudentia, doctrina & dignitate specta-
 tissimi conversio intimo doloris sensu
 laniabat A catholicos, cumque illius
 causam pro more suo nec in animi le-
 vitatem, nec in melioris fortunæ spem,
 aut

aut impendentis pœnæ metum conjicere possent, saltem hoc ejus soliloquium confutare, vel potius sarcasmis deridere moliti sunt, tam indigno labore, ut etiam quidam A catholicorum ejusmodi Scriptoribus (*) indignarentur, & Metternichii soliloquium (suo judicio) solidius refellere aggrederetur, quæ tamen confutatio tam elumbis, jejuna, & falsitatibus turgida est, ut sectæ, quam propugnare nititur, infirmitatem nimis luculenter proderet.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

Non minus memoranda est conversio Joannis Georgii de Eckard, qui celeberrimus Historicus, Hannoveranæ Bibliothecæ Præfectus & Brunsvicensi Duci a consiliis erat: Hic de falsitate suæ Religionis ex ipsa S. Scripturæ & Historiæ Ecclesiasticæ lectione convictus Dominico Passioneo tum Apostolico apud Helvetios Nuntio perscripserat, decrevisse se, relictis suis officiis, dignitatibus, cunctisque bonis veritatem sequi, atque ejurato errore ad Catholicos-

(*) Bescheidene und unpartheyische Gedanken, über das Soliloquium &c. Frankfurt und Leipzig 1728. Weil aber diese Wiederlegungen theils etwas massiv gewesen, theils aber das Soliloquium zu geringschätzig tractirt, und meines Erachtens der noch der Sache kein Genügen gethan u.

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

licorum Sacra transire. Anno etiam hujus sæculi vigesimo secundo noctu pedes Hannovera discessit, & primo Corbeiam, inde Coloniam profectus, ibidem die secunda Februarii anno sequenti palam Catholicæ Religioni nomen dedit, suæque mutationis notitiam Cardinali Spinolæ manifestavit, quo procurante Innocentius XIII. Eckardum, ut Romam veniret, peramanter invitabat, ejusque duos Filios pariter ad veram fidem reversionem pinquibus beneficiis augebat. Nec minor fortuna Patris meritis affulserat; quippe Imperator eidem Bibliothecarii: Passaviensis vero Episcopus præter Bibliothecæ curam, Consilarii, & demum Herbipolensis Episcopus Historiographi, Bibliothecarii & Archivarii munus offerebant. Præplacuit tamen eidem, sua Herbipolensi dicere obsequia, quo etiam ejus uxor & liberi illum secuti sunt, & nihilominus Imperator meritissimum hunc Virum nobilitatis prærogativa decoravit.

Bibl. Germ.
t. 9. p. 197.
l'Advocat
lit. E. p. 1204.
Holberg
Hist. Eccl.
t. 4. p. 176.

Mirum plane, quantum Protestantes sua torserint ingenia, ut Eckardi celeberrimi hujus Viri transitum non veritatis agnitæ impulsu, sed aliis, iisque minus decoris rationibus adscriberent. Fingunt ergo alii, ipsum ære alieno valde gravatum, ut Creditorum

rum vexationes eluderet, clam profugisse. Verum esto hoc, num propterea præ ceteris Catholica Religio amplectenda erat? cur non ad Calvinianam sectam transiit, forte a Creditorum importunitate magis securus? Alii fabulantur, Eckardum ad Historiographi munus rite adimplendum minus habilem fuisse, ac propterea, cum valde ambitiosus esset, Hannoverensium Professorum Doctorumque contemptum, amarusque sales ferendo imparem ad eos transiisse, apud quos se pluris haberi sperasset. Ast quo fato accidit, ut Eckardus adhuc Lutheranus a Protestantibus ob ingenii, industriæ, ac perspicaciæ præstantiam usque adeo celebratus fuerit, ut ipsemet Leibniti-
 us, proh! quantum apud Lutheranos nomen, Eckardum præ ceteris selegit, ut cum ipso per viginti omnino annos in conscribenda Domus Brunsvico - Luneburgicæ Historia operam suam egregie conferret, & Leibnitio satisfuncto, in Bibliothecæ Præfectura, & Historiographi munere per plures annos succederet: vix autem Catholicorum castra secutus, meritum ac laudem, quam per tot annos sibi comparaverat, uno momento amitteret, ac ex Viro longe doctissimo in rudem idiotam metamorphosi transformaretur? Ergone
 Leib-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

Sæc. XVIII. Leibnitius Vir longe acutissimus in
 A. C. 1727. Echardo per integros viginti annos in-
 genii hebetudinem, & ad perficiendos
 hosce labores impotentiam non depre-
 hendit. Attamen Eckardi fortuna conti-
 git, quod ipse jam Catholicæ Religioni
 redditus suos *commentarios de rebus Fran-
 ciæ Orientalis* ediderit, quo opere ad ho-
 stium suorum confusionem comproba-
 tum redditur, illum uti semper, ita
 & tum fuisse Scriptorem ingenii acie,
 & laboris assiduitate longe præstantis-
 simum. En! quam exigua fides tri-
 buenda sit A catholicorum nonnullis,
 dum de suorum transitu ad Catholi-
 cos sua proferunt judicia, etsi in aliis
 fide dignissimi sint.

§. XXV.

*Benedicti XIII. Papæ gesta Bene-
venti.*

Postquam Benedictus Papa superatis
 omnibus, quæ objectabantur, dif-
 ficultatibus Beneventum proficisci con-
 stituerat, die vigesima secunda Martii
 prius Cardinalem Cosciam, & Melphi-
 tensem Episcopum, qui necessaria præ-
 pararent, eo contendere jussit, ipse
 vero die vigesima quinta ejusdem Men-
 sis Roma profectus, die prima Aprilis
 Beneventum venit, incredibili om-
 nium